



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

Romae, MDCLXXXVII

Q. 71. Vtrum homini eleuato necessarij sint habitus virtutum
supernaturalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

agendi, ac se conuertendi, sed etiam accipit ipsum actum consentiendi, se conuertendi, ac bene agendi; ac non solum accipit auxilium praeueniens, quo potest conuerti, sed etiam accipit auxilium comitans, seu cooperationis, quo de facto conuertitur; sed qui accipit non solum posse, sed etiam bene agere, & non solum auxilium praeueniens, sed etiam auxilium cooperationis, procul dubio accipit maiorem gratiam, & maius auxilium, quam qui accipit solum posse, non autem bene agere, & solum auxilium praeueniens, non autem auxilium cooperationis; ergo &c. Quia verò de fide est, omnes actus bonos, & salutare esse dona Dei, iuxta illud Apostoli I. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* & iuxta illud Caelicini in epist. ad Episcopos Gallia: *Tanta enim est erga homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona;* ideò de fide est eum, qui bene operatur, simpliciter, & absolute accipere maiorem gratiam, quam qui non bene operatur.

16. Addo, quod qui conuertitur, & consentit, semper praeuenitur gratia formaliter, & moraliter maiori, quam qui non conuertitur, & non consentit.

17. Probat: nam gratia formaliter, & moraliter maior est, quae datur maiori amore, ideoque ut docet S. Thomas I. par. q. 38. art. 2. in corpore, amor est primum donum; sed auxilium praeueniens datum consentienti datur maiori amore, quam quod datur non consentienti; ergo auxilium praeueniens datum consentienti semper est formaliter, & moraliter maior gratia. Probat: minor amor, quo auxilium datur, intendendo efficaciter ipsum consensum, est maior, quam quo datur auxilium, licet videatur non sequitur consensus, & permittendo, ut non sequatur consensus; sed consentienti auxilium datur, intendendo efficaciter consensum, non consentienti datur, licet videatur non sequitur consensus, & permittendo negationem consensus; ergo &c.

TRACTATUS X.

De gratia habituali sanctificante, & iustificante, ac de iustificatione.

S. Thomas I. 2. quæst. 110.



VM Tractatu nono egerimus de gratia actuali, sequitur ut Tractatu decimo disputemus de gratia habituali sanctificante, & iustificante, ac de ipsa iustificatione, & de habitibus, quibus iusti formaliter sanctificantur, & iustificantur. Primo igitur à quæstione 71. vsque ad 77. agemus de habitibus virtutum supernaturalium, tum per se infusarum, tum acquiritarum, tum theologiarum, tum mora-

lium, ac de eorum necessitate, & existentia, & explicabimus, quo pacto actus, & habitus supernaturales differant ex obiecto formaliter ab actibus, & habitibus supernaturalibus. Secundo quæstione 78. & 79. examinabimus, utrum gratia sanctificans sit habitus realiter distinctus à virtutibus supernaturalibus, & profertim à charitate, & utrum præter gratiam sanctificantem, & virtutes infusas dentur dona Spiritus Sancti, quæ sint habitus supernaturales distincti à virtutibus. Tertio quæstione 80. & 81. agemus de ipsa iustificatione, examinabimus, utrum hominis sanctificationis, & iustificationis fiat per qualitatem creaturæ permanentem, & intrinsecam animæ, & actus perfectæ charitatis, & contritionis sit forma iustificans, vel pura dispositio ad iustificationem. Quarto à quæstione 82. vsque ad 87. agemus de eadem iustificatione, in quantum est remissio peccati, & examinabimus, utrum peccatum mortale possit quoad culpam remitti per condonationem purè extrinsecam virtutum possit remitti in eo instanti, quo fit, utrum peccatum personale possit remitti sine retractatione peccatoris; utrum vnum peccatum mortale possit remitti sine alio: utrum peccata remissa per subsequentes peccata redeant, vel redire possint quo ad culpam, & poenam; & utrum cum remittitur peccatum merita reuincant, & recuperentur gratia, & virtutes.

QVAESTIO LXXI.

Utrum homini eleuato necessarij sint habitus virtutum supernaturalium?

1. **V**identur non esse necessarij: primo quia si essent necessarij, maximè ad exercendos actus supernaturales, & meritorios vite aeternæ, quales sunt actus credendi, sperandi, amandi Deum &c. sed ad hunc finem non sunt necessarij habitus virtutum supernaturalium; ergo &c. Probat: minor: nam ad exercendos actus supernaturales omnium virtutum sufficiunt auxilia actualia diuinæ gratiæ; ideoque peccatores carentes habitibus supernaturalibus charitatis, & virtutum moralium, per auxilia actualia excitentur, & adiuuentur à Deo, possunt exercere quoslibet actus supernaturales.

2. Secundo proportionali modo homini eleuato ad finem supernaturalem sunt necessarij habitus virtutum supernaturalium, ac homini puro, hoc est ordinato ad finem naturale, fuissent necessarij habitus virtutum naturalium; sed homini puro habitus virtutum naturalium non essent ita necessarij, si sine illis non potuisset consequi finem naturalem: siquidem si mortuus fuisset innocens, antequam acquisiuisset vllum habitum virtutum naturalium, consequutus fuisset suum vltimum finem, hoc est felicitatem naturalem; ergo à pari.

3. Respondeo, quod habitus virtutum supernaturalium sunt magis necessarij homini eleuato ad obtinendum finem supernaturalem, & ad exercendos actus meritorios finis supernaturalis, quam habitus virtutum naturalium fuissent necessarij homini puro ad obtinendum finem naturalem, & ad exercendos actus meritorios finis naturalis.

4. Probatu primo: nam id, quod est necessarium ad hoc, vt homo, qui per sua naturalia est ineptus ad aliquem finem, constituatur primo aptus ad talem finem, est magis necessarium, quam id, quod est necessarium ad hoc, vt homo, qui per sua naturalia est aptus ad aliquem finem, constituatur magis aptus ad eundem finem perfectiori modo obtinendum; sed habitus virtutum supernaturalium fidei, spei, charitatis &c. sunt necessarij ad hoc, vt homo, qui per sua naturalia est prorsus ineptus ad videndum Deum in se ipso, qui est finis supernaturalis, constituatur aptus ad talem finem; habitus virtutum naturalium sunt necessarij ad hoc, vt homo purus, qui per sua naturalia, & per naturalem innocentiam esset aptus ad finem naturalem, constitueretur aptior ad eundem finem perfectiori modo obtinendum; ergo &c. Probatu minor: nam homo per sua naturalia est ineptus ad finem supernaturalem, & non habet vllum ius ad illum obtinendum, ideoque virtutes supernaturales fidei, spei, & charitatis sunt homini simpliciter necessariæ ad hoc, vt primo fiat aptus ad talem finem, & habeat ius ad illum obtinendum; at homo purus, & innocens per sua naturalia, & per ipsam dignitatem naturæ rationalis est aptus ad finem naturalem, & habet ius ad illum obtinendum, ideoque habitus virtutum supernaturalium essent illi necessarij solum ad hoc, vt constitueretur aptior ad finem, seu beatitudinem naturalem in perfectiori gradu obtinendum.

5. Probatu secundo: nam quod est necessarium ad aliquos actus exercendos, tanquam prima potentia intrinseca, & permanens exercendi tales actus, est magis necessarium, quam quod est necessarium, non tanquam prima potentia, sed solum tanquam habitus supponens, & facilitans potentiam permanentem exercendi tales actus; sed habitus virtutum supernaturalium fidei, spei, charitatis &c. sunt necessarij, tanquam primæ potentie intrinseca, & permanentes exercendi actus supernaturales; habitus virtutum naturalium sunt necessarij, tanquam supponentes, & facilitantes potentiam permanentem exercendi actus naturales; ergo &c. Probatu minor: nam homo per sua naturalia non est simpliciter potens exercere actus supernaturales, at est simpliciter potens exercere actus naturales; ergo habitus virtutum supernaturalium sunt homini necessarij ad hoc, vt constituatur simpliciter, & permanenter potens exercere actus supernaturales, habitus virtutum naturalium sunt homini necessarij solum ad hoc, vt con-

stituitur facile potens exercere actus naturales, ideoque communiter dicitur habitus supernaturales dare simpliciter posse, habitus naturales dare solum facile posse.

6. Ad 1. distingo maiorem: si habitus virtutum supernaturalium essent necessarij, maximè ad exercendos actus supernaturales vtunque, nego maiorem; ad exercendos actus supernaturales per potentias intrinsecas permanentes, concedo maiorem; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad exercendos vtunque actus supernaturales, non sunt necessarij habitus virtutum supernaturalium, siquidem sufficit vel extrinseca eleuatio Dei, vel eleuatio intrinseca per auxilia actualia, & transuentia gratiæ, de quibus agetur infra. At ad exercendos actus supernaturales per potentias intrinsecas permanentes necessarij sunt habitus permanentes virtutum supernaturalium; & quia ad hoc, vt homo sit simpliciter bonus, & aptus ad suum finem supernaturalem, debet habere potentias intrinsecas, & permanentes, per quas possit se mouere ad talem finem, ideo præter auxilia actualia gratiæ necessarij sunt habitus permanentes virtutum supernaturalium. Addo, quod cum virtus definiatur ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. *Quæ facit bonum habentem, & opus eius bonum reddit;* habitus virtutum supernaturalium sunt necessarij non solum ad hoc, vt homo possit exercere actus bonos, seu meritorios vitæ æternæ, sed etiam ad hoc, vt constituatur bonus, hoc est aptus ad finem supernaturalem, vt explicatum est in prima probatione conclusionis.

7. Ad 2. nego maiorem. Probatu enim est, quod maiori necessitate habitus virtutum supernaturalium sunt homini eleuato necessarij ad finem supernaturalem, quam habitus virtutum naturalium essent homini puro necessarij ad consequendum finem naturalem. Ex hac maiori necessitate oritur, vt habitus virtutum supernaturalium sint necessarij etiã infantibus, siquidem si infantes moriantur sine illis, sunt intrinsecè inepti ad consequendum finem supernaturalem vitæ æternæ; at habitus virtutum naturalium in natura pura, non essent necessarij infantibus ante vsum rationis; siquidem infantes in natura pura, etiam si carerent habitibus virtutum naturalium, & cum hac carentia morerentur, per ipsam dignitatem naturæ rationalis innocentis essent intrinsecè apti ad consequendam beatitudinem naturalem.

QVAESTIO LXXII.

Virum dentur habitus virtutum supernaturalium, tum per se infusi, tum acquisiti?

1. **V**identur non dari habitus supernaturales per se infusi; primo quia habitus per se infusi dicuntur, qui non possunt acquiri,